



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Leodegarivs Ep. M. 2. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

tozem anno. M.DC.XXIV. Urbanus VIII. Pont. Bea-
tum dixit. *Ex vitâ.*

*Quis jam calcari recusabit, cum videat in tor-
culari Christum premi? sane nisi sumum vani ho-
noris atque existimationis propria proculcaverimus,
facile ab hostibus nostris conculcabimur, & Chri-
sti discipuli esse desinemus.* B. Franc. Borg. in E-
pist.

S. LEODEGARIUS EP. M. 2. Octobris.

Nemo pulchrius in hostem suum, quam Pont.
Augustodunensis LEODEGARIUS movit, ut
qui huic cum sacris è templo signis obvius ivit,
victoriam ratus sub his vinci. Captus itaque, tunc
demum Christianâ se libertate potitum credidit.
Carcerum tenebris abditus, igne è celo misso re-
splenduit. Oculis orbarus, primùm Martyrem se
esse vidit. Nudipes per testas & aspera saxorum
fragmina jussus ambulare, currere etiam ad tam
optatam metam gessit. Labiis & linguâ multa-
tus, sine labiis tamen & linguâ facundus ad con-
cionem dixit. Cæsus denique securi, in novos ani-
mos surrexit, horamque totam victor post mor-
tem stetit, nec nisi à spiculatore impulsus cecidit.
At non tam felici morte cædis auctores defuncti
sunt. Nam & carnifex, de quo dixeramus, à malo
genio correptus in vindices flammâ se ipsum
immisit, mox in majores alias mittendus; & qui
cædem imperaverat, Ebroinus Regiæ aulæ præ-
fectus, gladio, quem in innocentem strinxerat,
ipse nocens occubuit; & demùm, qui tumulum
Martyris impiè calcavit, Divumque sine miracu-
lis



his injuriosè compellavit, in ipso vestigio, moriendo mendacem se falsus est, & jam miracula patrare LEODEGARIVM si non aliis, certè sibi credit. *Ex Surio.*

Ad sunt defensores nostri sancti Martyres; rogari volunt, & querunt ut quarantur. Hos adjutores nostris orationibus queramus; hos protectores nostri reatus inveniamus; quia ne punire peccatum debeat, rogari vult & ipse qui judicat. S. Greg. hom. 32.

S. IOANNES CHYZVBITA CONF.
3. Octobris.

Non aliud aliùs in hostem infernum vulnus descendit, quàm quod à demissi animi dextrâ venit. Miserat ad IOANNEM CHYZVBITAM Anachoretam alter Anachoretas Ananias nescio quem à malo genio infessum. Hunc vix ita nosse compellavit: (Eia cedere, impure, te hospitio tuo, non ego sed Ananias jubet) cum verba hæc plena animi demissioris jam dudum exosus fugit ocyùs hostis superbus. Et pepererat fama miraculi hujus IOANNI Pontificatum Cæsariensem. Ille tamen mox iterum urbem cum silvis suis mutavit, ingens onus insulam se abjecisse existimans. Secutus Divum rusticellus filium itidem ab orco agitatum in sportâ è tecto suspendit, & ecce arrogans iterum pulsus est inquilinus. Ergo igitur, ut ultimum hæc iret dolorem suum, IOANNEM præcipitem è monte egit. Sed qui caderet humi semper repens animus? risit scilicet veteratorem alius longè olim cadentem. Porro sub ultimos vitæ annos, cum IOANNEM cupidò cepisset, Martiani viri integerrimi visendi, nec tamen ob catenans, quâ